

plectitur. Et vice versa, si majus illo aliud ens intelligatur; quod minus est, limitibus conclusum esse, deduci debet.

106 Corol. 3. Similiter ens limitibus clausum, quum augmentum recipere valeat sui status mutationis pati potest, quando ipsi novæ accessiones fiant. Si enim accessiones recipere nequiret, haberent omnes realitatem, quam in ipso concipere possumus, contra Corol. 1.

107 *Finitum* dicimus id, quod limitibus clauditur, *infinitem* verò, quod nullis limitibus continetur. Quare quum nullum detur medium inter has notiones, omne ens aut finitum, aut infinitum sit, oportet.

108 Corol. Quæcumque de ente limitibus septo modo statuimus, nimirum careere aliquibus realitatibus, majus eo dari aliud posse, ac status mutationes recipere, *finitio* apprimè quadrare fatendum est. Quumque notio *infiniti* sit huic opposita, omnes realitates continere, majus eo dari non posse, neque ullam status mutationem recipere, nullo negotio conficitur, in *finito* convenire.

109 Positio 1. *Infinitem ex entibus finitis consurgere non potest*. Prob. Quodlibet finitum limitibus concluditur: ergo quotcumque adjungas, semper de omnibus verum erit, quod de singulis nimirum limitibus includi, adeòque esse finita. Notiones hactenus traditas ultra infinitum perfectionis extendere, in animo nobis non est.

110 Schol. Ex his notionibus inventa est divisio scholæ, in *cathegorematicum*, et *syncathe-*

*gorematicum* infinitum distribuentis. Primum illud dicunt, quod actu habet omne id, quod habere potest, adeòque *infinitem* in actu vocant. Manifestum est hujus generis solum Deum esse posse infinitum, ut patebit seq. conclusionè. *Syncathegorematicum*, sive in *potentia*, est possibilitas infinitorum entium, quæ non possunt tot poni, quin plura adhuc possibilia sint.

Positio 2. *Duo infinita existere non possunt*. Demonstrationem S. Thomæ in lib. contra Gentes sic explanat Mako. "Sint, si fieri possit, A et B duo entia infinita. Vel erunt ea similia, vel dissimilia. Si dissimilia inerunt in uno qualitates, quæ non insunt in altero, quod absurdum est (108). Si sunt similia, aut erunt præterea æqualia, aut inæqualia. Si inæqualia, major erit in uno realitatum numerus, quam in altero, quod rursus absurdum est (ibid.): si æqualia, aut different numero, aut non different; si non different, erunt non duo, sed unum, idemque infinitum (64): si different numero, erit ratio aliqua sufficiens, cur A non sit B: ea autem ratio aut est in A aut in B. Si in B, tunc A rei alicujus in se existentis rationem habet in altero, à quo proinde dependet (101), qui perfectionis defectus non cadit in infinitum: sin autem illa ratio est in A: vel ea est perfectio quædam, vel imperfectio; non imperfectio, quia ens infinitum gaudet omnibus realitatibus, seu perfectionibus (108): neque est perfectio; aliter enim aliqua perfectio erit in A, qua carebit B, quod absurdum

est (ibid.). A ergo et B nequeunt esse duo infinita entia." Ont. cap. 10. §. 115.

112 Scol. Quantitates *infinitesimales* à geometris excogitatae in eorundem mente tantum existunt. Cave unquam credas, hoc vocabulo quantitatem aliquam *infinitè magnam*, aut *infinitè parvam*, quæ revera existere queat ab ipsis designari. Hujusmodi infinitesimales ita vocantur, quod mens nostra illas indefinitè concipiat, quin determinatam magnitudinem ipsis statuatur, ita ut ad libitum augeri aut minui possint. Ita circulus dicitur polygonum *infinitilaterum*, quod mens geometræ perimetrum ad eodè inflexum concipiat, ut nullum harum inflexionum seu laterum numerum determinet.

113 *Mutatio* est transitus à præsentis modo existendi quem *statum* alii vocant, in alium diversum. Hæc autem mutatio fieri potest vel per acquisitionem, vel per amissionem alicujus realitatis, aut modi, quæ intrinsecam in subiecto diversitatem inducant, ad eodèque intrinsecus mutetur; vel per accessionem, aut amissionem alicujus respectus aut relationis externæ, quæ tantum extrinsecus rem attingant; veluti si Petrus, qui à sinistris nunc adest, mihi dexter habeat, status interni nullam mutationem affert, sed tantum respectum quemdam variat novumque inducit. Hæc mutatio, ut vides, impropria est. Altera est illa, quæ verè ens *mutabile* constituit.

114 Ens *immutabile* est, cujus existendi modus, seu status variari intrinsecus numquam potest. Ceterum mutatio externa immutabilitati

nihil officit: hæc enim potius est aliorum entium mutabilem, quam immutabilis variatio. Quum Deus creaturam producit, respectum quemdam ad illam acquirit, quem antea non habebat: hic autem provenit à mutatione modi existendi creaturæ, ab statu possibilitatis ad statum existentia transeuntis.

## §. VI.

*Necessarium et contingens.*

115 *Necessarium* illud est, cujus oppositum est impossibile. Hoc autem duplici modo evenire potest, *absolutè* aut *hypotheticè* (41): ex. g. absolutè necessarium est, ut totum sua parte majus sit: quod autem Adamus extiterit, necessarium est ex suppositione, quod Deus illum creaverit. Quod si et conditio absolutè necessaria sit, *conditionatum absolutè* necessarium est.

116 Conditio triplex distinguitur; *antece-*  
*dens*, *comitans*, et *subsequens*, unde et necessitas *conditionata* triplici modo etiam evenire potest. Decretum Dei mundum producendi est *conditio*, qua posita, sequitur *necessitas antecedens* futuræ existentia mundi: quum verò tempore creationis universi illius constitutiva posita sunt, necessitas comitans existentia ejusdem locum habuit: demùm ejus productio consequentem necessitatem existendi inducit, quum nec Deus ipse possit facere infectum, quod factum jam est.

117 Schol. Notiones *necessitatis metaphysicæ*, *physicæ*, et *moralis* habes art. 47. Nam

quum notionem necessarij ab impossibili sumamus, ab eo pariter triplicis hujus necessitatis explicatio spontè defuit: scilicet metaphysicè necessarium est, cujus oppositum est metaphysicè impossibile, et sic de ceteris.

118 Demum necessitas vel *determinata* est, vel *vaga*. Prima habetur, quum alterum ab altero necessariò consequitur: altera verò consequutionem quidem necessariam indicat, quin subjectum determinet, sic necessarius est stilus ad scribendum, quin hic, quo hæc exaro, determinatè necessarius sit.

119 Contingens est omne id cujus oppositum non est absolute impossibile. Unde *contingentia* esse intelligitur etiam de illis entibus, quæ sunt hypotheticè necessaria.

120 Positio I. "Ens, quod in sua essentia includit rationem sufficientem existendi, est absolute necessarium; sivè necessitate absolute existit." Prob. Quum essentia rerum sint absolute necessaria (20), si ponitur essentia, et illa ratio sufficiens existere debet, quæ includitur in ipsa: at posita ratione sufficiente, et illud, cujus est ratio sufficiens, ponatur necesse est (14): ergo ens includens in sua essentia rationem sufficientem existendi, necessariò existit.

121 Corol. I. Ens, quod in se non habet rationem sufficientem existendi, non existit necessariò: adeoque est contingens. Nam ex essentia sua non profuit ejus existentia: ergo hæc potest esse in statu intelligibili, quin existat (27): hoc autem est ipsamet notio contingentis (129): ergo est contingens; adeoque ab

alio rationem sufficientem existendi habere debet, à quo omninò dependeat.

122 Corol. 2. Si igitur id, quod non habet in sua essentia rationem sufficientem existendi, contingenter existit, id, quod necessariò existit, in sua essentia debet includere rationem sufficientem existendi: atque adeò per suam existit essentiam, nimirum *à se*, quod absolutam independentiam ipsi præstat.

123 Corol. 3. Ens à se existens neque initium, neque finem suæ existentia habere potest, atque adeò æternum est. Etenim ens à se est absolute necessarium (120): quod autem et initium, et finem existendi habere potest, potest non esse, atque adeò contingens est, quod pugnat cum notione necessarij. Enti ergo à se neque initium, neque finis attribui potest; est igitur æternum.

124 Corol. 4. Ens à se est immutabile (114). Nam quoniam necessariò existit, necessaria etiam sunt omnes ejus realitates: at si mutabilis esset, aliqua ei realitas adveniret, aut illam perderet (113); quod contingentiam arguit: est ergo immutabile.

125 Corol. 5. Ens à se simplex est (84). Etenim aut simplex, aut compositum sit, oportet: compositum autem esse nequit: nam si ejusmodi esset, partibus constaret; partes autem aut necessariae sunt, aut contingentes: contingentes verò esse non possunt; à quo enim habuissent existentiam? aut quomodo necessarium esset compositum, cujus partes non existere potuissent? Recurrendum est igitur ad ne-

cessitatem partium. Pars autem in suo conceptu mutabilitatem includit; prius enim concipi debet velut simplex, antequam ad statum compositionis deveniat: ens autem necessarium est immutabile (*præced.*) Deinde necessarium includit in se rationem sufficientem existendi: ergo pars necessaria antequam ad compositionem deveniat, habet omnes realitates: reliquæ igitur partes sunt superflue, quum nihil addere possint, quod in una parte jam non sit. Notiones igitur compositionis pugnant cum notione entis à se, seu necessarij: quare simplex sit, oportet.

126 Corol. 6. Ens à se est infinitum. Finitum enim, aut infinitum sit necesse est (107): finitum verò esse nequit, quum omne finitum sit contingens, quippè initium existendi habere debet (121): ergo est infinitum.

127 Corol. 7. Ens à se omnes perfectiones possibles continere debet, atque adèd perfectissimum est omni genere perfectionis, quæ nullam imperfectionem includat. Nam ex præc. corol. est infinitum; infinitum autem omnes possibles realitates includit (108), quæ quidem realitates in suo conceptu abstracto perfectiones sunt, et tantum imperfectiones deveniunt in ente finito collocata, quippè ab ipso defectum *extensionis*, aut *intensionis* contrahunt (104). Quum autem ens infinitum limites non habeat, realitates omnes in ipso comprehendi debent sine ulla imperfectione, atque adèd sine ulla limitatione; quapropter et perfectiones ipsæ nullos habentes limites,

infinitudinem quælibet contrahit in ente infinito collocata. Est igitur infinitè perfectissimum omni genere *pura* perfectionis infinitæ.

128 Schol. *Pura* perfectio illa dicitur, quæ nullum defectum includit: *mixta* imperfectionem quamdam importat, quæ à finitudine entis, in quo sita est, provenit. Perfectiones *pura*, sive ut ajunt *simpliciter simplices*, in ente infinito reperiri debent, quippè quæ nullum defectum, imò verò infinitudinem à subjecto, in quo insunt, contrahunt. Illæ autem perfectiones, quas in ente finito animadvertimus, putà vim ratiocinandi in homine, inveniuntur in suo conceptu abstracto talis realitatis, sive ut ajunt scholæ *eminenter*. Videlicet ens finitum rationis capax intelligere non potest: res non perspicuas, nisi medio idearum præcognitarum utatur (Log. 150); quod ratiocinari dicimus: hæc autem, quæ in ente finito perfectio *mixta* est imperfectione, ens infinitum minime decet, quum sine ulla idearum comparatione omnia perfectissimè intelligat: adèdque vis ratiocinandi eminentiore modo in ipso reperitur.

129 Corol. 8. Ens à se est immensum. Duplici sensu immensitatem concipere possumus: primò quidem, ut in suis perfectionibus nullam mensuram, quod immensum est, admittat: quod quidem idem refert, atque infinitum esse; cumque hoc jam sit confectum (Corol. 6 et 7), ens à se immensum hoc primum sensu fatendum erit. Communior altera acceptio immensitatis est in ordine ad locum, ita ut

omne spatium repleat, sivè in omni loco existat, quod immensum est; quod enti necessario convenire sic ostendo. Si ens necessarium in uno, aut pluribus tantum locis existeret, limitibus concluderetur (102): at ens necessarium, utpotè infinitum (126), limitibus includi nequit (108): ergo in omni loco existere debet. Deindè in uno loco aut existit necessarium, aut contingenter: si primum dixeris, imperfectum erit, quum perfectius sit cuilibet loco præstò adesse, quam uni determinato configi: quod si contingenter existat, mutabilitatem includit, contra Corol. 4.

130 Corol. 9. Demùm. Ens necessarium unicum est. Quod enim infinitum, et unicum sit oportet (111): jam verò ostensum fuit, ens necessarium infinitum esse (126): ergo est unicum. Præterea si concurrerent duo entia necessaria, utraque deberent esse perfectissima (127): at hoc ipso non essent, quum perfectio, qua in uno reperiretur, ab altero deficeret; si enim haberent perfectiones communes, essent unum, idemque ens: ergo aut nullum existit ens necessarium, aut unicum sit oportet. Deniquè et liberrima essent, atque adeò opposita velle possent, sibi que invicem in rerum mollitione adversari, quòd ipsarum independentiam convellit. Quod si, ponas voluntates semper fore conformes, dummodò libertatem non tollas, contraria posse velle, fateri debes, quod te in eundem scopulum impingit, nec opinantem: videlicet ridiculas deorum ethnicorum pugnas inducis, quod adeò

à sensu communi alienum est, ut vel ipsi poeta unum numen, in quo *hominum, divumque æterna potestas* sita esset agnoverint.

131 Ex notione ipsa entis contingentis attributa opposita his, quæ hactenus de ente necessario demonstravimus, spontè dimanant. Ens quippe *ab alio* (121) insufficientiam existendi à se, atque adeò initium suæ existentia, quod cum æternitate pugnat, habere debet. Mutabilitatem etiam, quæ quidem in suo genere etiam compositionem includit, finitudinem, imperfectionem, circumscriptionem in loco, multipliciter in sua specie etc. in sua essentia involvat, necesse est, propter rationes oppositas his, quibus de ente necessario attributa contraria demonstravimus.

132 Positio 2. "Nullum ens contingens potest in alio contingente habere rationem sufficientem suæ existentia, ita ut illa extra seriem contingentium non extendatur." Prob. Quodlibet ens contingens ab alio est (121): ergo tota serie numerata, intra ipsam non invenitur ultima ratio sufficientem existentia collectionis. Dices, seriem esse infinitam. Esto nunc absurdissima hæc collectio infinita; tamen in hujusmodi serie infinita singula entia in se non habent rationem sufficientem existendi: ergo neque tota complexio eorumdem. Prob. cons. Si posset fieri, ut singula insufficientia abirent in collectionem sibi sufficientem ad existendum, sequeretur infinitas negationes posse affirmare, infinitas impotentias in potentiam abire posse, et cetera hujusmodi.

133. Confirm. Quodlibet ens finitum est dependens ab alio, atque à sua essentia excludens independentiam (121): ergo et tota collectio dependet ab alio, ac independentiam metaphysicè excludit. *Prob. cons.* A singularibus ritè enumeratis valet consequentia ad universale: hoc enim nihil aliud est, quam complexio singularium: ergo si quodlibet singillatim est dependens, atque ab essentia sua excludens independentiam, tota collectio est dependens, ac metaphysicè excludit independentiam. Quod ni ita esset, dico, etiam infinitam seriem irrationalium abire posse in rationalia, omniaque usu rationis pollentia nihil aliud esse quam complexionem entium rationis expertium; quod quam sit absurdum, nemo non videt.

134. *Prob. 2.* In singulis contingentibus unius insufficientia ad existendum est ad propriam existentiam, ut alterius insufficientia ad propriam existentiam: ergo etiam sunt omnes simul insufficientiæ ad omnes simul existentias, ut qualibet insufficientia ad propriam existentiam. (*Elem. Mat. num. 211. 21*): at hæc ita se habet, ut omninò exigat dependere ab alio in existendo: ergo et tota complexio ab alio extra ipsam dependere debet.

135. *Prob. 3.* Fingamus mundum ab æterno extitisse, ut athei volunt, atque infinitam seriem causarum sibi succedentium, quarum qualibet seorsim contingens sit, esse sibi rationem sufficientem existendi: hypothesim hanc absurdam planè, et contradictionibus refer-

tam esse, sic ostendo. Series illa initio carens æterna est; ergo aliquod individuum in eadem includi debet, quod sit æternum, atque initio careat. Quo enim pacto series æterna concipi potest, cujus nullum individuum æternum sit, atque initio careat? Quemadmodum series à parte post, ut ajunt, æterna non esset, si omnibus enumeratis tandem ad ultimum deveniret, quod finem habere. Enimverò ex eadem hypothesi deducitur, quodlibet individuum initium habuisse; quodlibet enim contingens, atque ab alio determinatum ad existendum supponitur: ergo series conficta esset simul æterna, et non æterna; initium existendi habens, atque initio carens; sibi sufficiens, et insufficientis; à se determinata ad existendum, atque ab alio extra ipsam hanc determinationem accipiens, aliaque innumera absurda, quæ solum devorare valet, qui *dixit in corde suo, non est Deus.*

Nam simul ac ratio sua cœpit vociferari,  
Naturam rerum haud divina mente coortam,  
Diffugiunt animi terrores; moenia mundi  
Discedunt, totumque videt per inane geri res...  
*Ut* metus ille foras præceps Acheruntis agatur  
Funditus, humanam qui vitam turbat ab imo;  
Omnia suffundens mortis nigrore; neque ullam  
Esse voluptatem liquidam, puramque relinquit.

*Lucr. lib. 3. v. 14.*

136. Opponunt tamen i. Ratio à nobis adducta, cur in serie infinita contingentium non possit inesse ratio sufficiens existendi, est,

quia deveniendum est ad primum: atque in serie infinita potest dari ratio sufficiens existentiae contingentium, quin opus sit recurrere ad ens necessarium. R. 1. Hujusmodi hypothesim absurdis scaterere, jam ostensum esse *art. præc. 2. Dist. maj.* tantum quia deveniendum esse ad primum, *neg. maj.* et quia ratio sufficiens existendi resolvi deberet in aliquot ens, quod et ipsum ab alio dependeat, *conc. maj.* Etiam si infinita supponatur hæc series, contingentiam tamen in sua essentia includit, dependentiam etc. (132 et seq.) Deinde infinitæ contingentiae, ac dependentiæ possentne evadere infinita necessitas, atque independentia? Ens enim necessarium est infinitum, atque independentens (122. 126).

137. Inst. I. Potest adesse vaga quædam necessitas, vi cujus aliqua individua indefinitely existant necessario, à quibus alia producantur: at supposita hac vaga necessitate, series non esset contingens: ergo etc. *Prop. maj.* Etiam si nullum instrumentum musicum definitè necessarium sit ad pulsandum, tamen necessitas quædam vaga adest alicujus instrumenti: ergo hæc eadem concipi potest in serie contingentium. R. *dist. maj.* Potest adesse vaga necessitas absoluta, *neg. maj.* hypothetica *omitto maj. et dist.* etiam *min.* non esset absolute contingens, *neg. min.* hypotheticè, *conc. min.* Necessitas autem hypothetica non excludit contingentiam (119). *Dist.* etiam *ant. prob.* absoluta quædam necessitas vaga adest alicujus instrumenti, *neg. ant.* necessitas hypothetica, *conq.*

*ant.* Evidens est, hujusmodi instrumentum requiri tantummodo ex hypothesi, quod pulsandum sit; neque enim ulla est necessitas absoluta pulsandi. In serie verò requiritur absoluta quædam necessitas existendi, vi cujus verum sit, ipsam non esse contingentem, ut supra ostendimus (132).

138. Inst. 2. Fallax est hæc deductio: *singuli homines sunt unus homo: ergo et tota collectio: ergo et altera à nobis usurpata: singula entia sunt contingentia: ergo et tota collectio.* R. 1. Intorquendo in adversarios argumentum. Hæc ratiocinatio optima est: *quilibet homo vi sentiendi pollet: ergo et tota hominum collectio facultate sentiendi prædita est:* erit igitur legitima et altera à nobis usurpata. Porro (et hæc est dispar ratio inter utrumque ratiocinium, in argumento adductum) ultima hæc deductio ideò legitima censetur, quia attributum sentiendi minimè pugnat collectioni hominum: attributum verò unitatis numericæ singulis hominibus conveniens, pugnat cum hominum collectione, in cujus notione involvitur multiplicitas individuorum. Contingentium verò collectio adeò non pugnat cum contingentia singulorum, ut potius illam necessario includat, quum impossibile sit per aggregationem insufficientiæ infinitam, cumulari posse infinitam sufficientiam existendi.

139. Oppon. 2. Quodlibet ens alterum determinaret ad existendum, ergo haberet in se inchoatam, ut ajunt, rationem sufficientem illius existentiae, quæ demùm in collectione *ada-*

quatè contineretur. R. 1. Absurdam esse hujusmodi hypothesim jam supra demonstravimus, adeoque suppositione falsa laborat antecedens. Hoc tamen dissimulato, R. *transm. ant. neg. cons.* Probant. Etiam si in libra una pondus sufficiens non contineatur ad æquilibrium mille libris faciendum, tamen per aggregationem aliarum demùm æquilibrium statuitur; ergo et in casu similiter contingeret. R. *neg. cons.* In qualibet libra pars quædam activa continetur per actionem gravitatis, quæ per augmentum aliarum demùm fit totum idem ac aliud pondus habens: in aggregatione vero contingentium additis insufficientia insufficientiæ, à quibus in infinitum multiplicatis infinitam tantum insufficientiam elicies. Habes igitur rationes dispare in duobus casibus figuratis. *Vide dicta Log. art. 228.*

140 Positio. 3. "Quum evidens sit, stare entia contingentia, evidenter etiam deducitur, ens necessarium existere, in quo ratio sufficiens illorum existentia collocetur." Prob. Nul- lum contingens habere potest in alio contingente rationem sufficientem suæ existentia (132). Ergo illam habet in ente aliquo necessario ex hypothesi, quod existat: existere autem contingentia tantum dubitabit Pyrrho Eleates, atque hujus asseclæ sceptici, elleboro citius curandi, quam argumentis convincendi, ergo existit ens necessarium. Hoc autem ens necessarium est id, quod *Deum* nuncupamus. Ens supremum, principium, ac ratio sufficiens rerum omnium, æternum, simplex, immuta-

bile; infinitum; perfectissimum, ac proindè sibi sufficiens, nullius indigum, suisque perfectionibus beatissimum, quin ulla creatura ad suam beatitudinem indigeat, undè ab illarum creatione supersedere potuisset. Plura alia in Dissert. 2. et 4.

141 Schol. Demonstrationem existentia entis necessarii non deducimus ab ejus idea; quam methodum demonstrandi meritò reprehendit Para. Neque enim idea entis necessarii in se involvit existentiam atque alias notiones in statu, ut ajunt, absoluto, quas tantum ex ea deducimus hypotheticè; nimirum casu, quo existat ens necessarium, seu ejus possibilitas ostendatur. Hujus autem existentiam, possibilem ut vides, immediate à contingentium productione demonstravimus; quæ sine causa necessaria existere non possunt.

## CAPUT QUINTUM.

### DE VARIIS ENTIUM SPECIEBUS.

#### §. III.

#### *De causis, et effectibus.*

142 Ante notionem *causæ* nonnulla de principio præmonere oportet; eo quod in theologia necessaria visa est distinctio inter causam, et principium. Sanè græci Patres non adeò scrupulosè in his nominibus usurpandis se gesserunt, ut Patri æterno nomen causæ recusarent: latini verò omninò volunt Patrem